



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ignatii Loiolae Vita**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Paupertas eius & castimonia. Cap. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11486**

nostrorum hominum esse Obedientiam; quippe quæ, divo Gregorio teste, virtus vna cæteras omnes animo inferat, inserta que custodiat. Hisce ergo artibus, & huiusmodi, subinde alumnos exercere consuevit: vt ad quamlibet Præfecti vocem aut significationem parati, vel inchoatum apicem in scribendo relinquerent: seque expeditos, vbi opus esset, illico sisterent.

## PAUPERTAS EIVS ET CASTIMONIA.

## CAPVT VIII.

**V**OLUNTARIAM paupertatem (quam ille religionis murum appellabat) ad extremum vsque constantissimè coluit; nec modò ipse proprium habuit nihil, sed ne alios quidem, quamuis genere nobiles, ac deliciis olim assuetos, quidquam habere permisit. quin etiam quemquam è professa domo apud Germanicum Romanumve Collegium nisi admodum raro & iusta de causa prohibuit vesci: quo nimirum, si opus esset, iurare verius posset, nihil omnino ad ipsam domum ex Collegiorum fructibus peruenisse. Pauperem autem spiritu eum sibi denique aiebat videri, qui erga ea quibus vteretur, sic esset affectus animo, vt instar statuæ cuiusdam videretur esse, quæ nullo pacto resistit recusante, quominus omni quauis pretioso amictu & ornatu confestim exuatur. Castitatis verò laudem Dei beneficio tantam adeptus est, vt ex quo die sese in beatæ Virginis fidem ac patrocinium contulit voto: nullam, vt initio dictum est, deinde, quamuis præferuidus natura, carnis tyrannidem senserit. Porro in Societate nobilissimam hanc virtutem tanto studio custodiri volebat, vt nihil omnino neque in dictis neque in factis lasciuium aut petulans appareret: ac quoad fieri posset, nostri cælestem vitam in terris agerent, ab omni corporis contagione sejuncti. Quia etiam in scholis Terentiū explicari, (ni perpurgatus esset) quamquam optimum Latinitatis auctorem & Romanæ comœdiæ principem, vetuit nominatim, quòd eum videlicet parum verecundum ac parum pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectione puerorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam prodesset ingenii; ex quo facilè existimari potest, in cæteris rebus quàm acer & vigilans custos pudicitiae fuerit.